

...orius Ioannes

...stai Philakai Zdziewojanae

...domus.

PHILAKAI ZDZIEWOIANAE DOMVS.

Admodum Reuerendo Domino

GREGORIO IOANNI ZDZIEWOYSKI *à Lasko;* CONCIONATORI OSWIECIMENSI ORDINARIO, ARTIVM MAGISTRO, PHILO: Doctori, Notario Sacra Author: Apost: publico. Amoris ergo D D.




Vno qui verbo cælos, & cuncta creâsti:
ZDZIEWOIIS benedic conditor omnipotens.
Dum vehet astra polus, capiet leuis æthra volucres:
Vnda maris pisces; Terra feretq; feras.

A STANISLAO OSĘDOWSKI *de Dzierzáwy, Art: Magistro, & Philosop: Doctore, Seniore Contubernij Zizaniani, Professore Rhet: Anno D.* 1639.



KATASIOSIS.

Principibus Vates magni ſua barbita tangunt,
Et gloriantur Regibus.
Vobis ZDZIEWOY mea Pieris aptat honores,
Ornata veſtro nomine.
Æternũm memor in vitâ, & poſt funera, veſtræ
Jn me perennis gratiæ.
ZDZIEWOIANA Domus, cælo dum ſydera current,
Tuis perennia laudibus.
Perpetuoq; meo viuas in pectore ſemper,
Deuincta ſummis Gratijs.



CRux? ſignum fidei. Falx? eſt inſigne laboris,
Vngula? Conſtantis ſedulitatis opus.
ZDZIEWOIANA Domus, tribus his ad ſydera tendit,
Quam iam jam ſpectat, trina Corona polo.

SIquis fortè cupis primis à fontibus ortum,
ZDZIEWOIÆ gentis, noſſe celebre genus?
Huc ades, & paucis (ſi te iuuat) accipe verbis,
Paruæ ZDZIEWOIVM ſplendida geſta domus.
Miles erat, belli geſtis præclarus & armis.
Horum Abauus, ZDZIWOY quem memorâre Patres.
Hic animo magnus, tendebat ad ardua ſemper,
Et nulli ceſſit Nobilitate minor.
Nec tulit egregiæ cariſſima prima iuuentæ,
Tempora ludicris, deperÿſſe ſuæ.
Impiger ad pugnas, Mauortia Caſtra ſecutus;
Bellonæ armipotens; ſe dedit armigeræ.
Et meruit laudem multos inſignior ante,
Hoſtes aduerſum dum ſtetit intrepidus.
Non mea res tanto, præconia carmine vili,
Ferre viro: Pallas quem ſtupet armiſona.
Inclyte tu Princeps à Lasko Iaroslae,
Sis pro teſte tuo Dux bone ZDZIEWOIO
Tu Sicûlum Comes, & Sîeradæ maximus oræ,
Palatine refer Marte togaq; potens.
Quem tibi ZDZIEWOIVS ſe quondam præſtitit armis,
Quemq; virum oſtendit miles hic egregius?
Pannonias acies primus dum ductor agebas,
Hunnorum Regi deditus obſequiis?
Hic ergo ſacras dignatus fœdere tædas,
ZDZIEWOIÆ gentis fons & origo fuit.
Illius thalamo Laurens procedit in auras,
Spes magnas domui progenieq; facit.
Hicce Valentinum, Albertumq; deinde propagat,
Egregios natos, moribus eximiis.

Qui vulgo compellati cognomine passim,
Maiorum solito schemate ZDZIEWOY.
Albertus rursum ducta de stirpe Rosarum,
ANNA PODLESKA coniuge conspcuâ.
Ex se Iacobum, Ioannem, Stanislaum,
Felix natorum pignora terna dedit.
Otia Ioannes fugiendo domestica solers,
Visere perrexit regna Silesiâdum.
At Stanislaus gratis ne nomen haberet,
Laus instans placidâ quod sibi sorte dedit.
Vt verè semper sententia staret in ipso;
Conueniunt rebus nomina sæpe suis.
Externas petijt gentes, & sole remotus
A patrio; incoluit Climata Morauiæ.
Iacobus verò naturâ mitior illis,
Lasci delegit tecta laremq; sibi.
Huic ductâ à Buczek Catharina coniuge castâ,
Sex geniti nati: septima nata fuit.
Martinus natu maior, quem deinde sequuntur,
Ioannes, Paulus, conspicuusq; Simon.
Fit Comes his ab eadem matre Gregorius ortus,
Post hos natales Bartholomæus agit.
Natæ nomen erat pretiosæ Margarethæ,
Veræ namq; fuit gemma pudicitiæ.
Idcirco: quoniam iustum Carissima terris,
Non habuit pretium: iure potita polo est.
Vere nouo veluti, cùm flos decussus ab Euro:
Peste ferâ, primo flore perempta fuit.
Quam fato rapti fratres puerilibus annis,
Expectauerunt sedibus æthereis.

Ioannes

Saluator

Ioannes, Paulusq; & Bartholomæus Olympo,
Quos inter Diuos extulit integritas.
Annos mille polo quingentos nonaginta,
Quinqueq; post Christum Sol tulit auricomus.
Cynthia verò nitens pulcherrima luce Nouembris,
Flammigero primam vexit ab exe diem.
Ducere Martinus cùm prima exordia vitæ
Cæpit, & in cunis ludere dulce puer.
Crescit & in studiis, quantùm ipso corpore crescit,
Plus tantò crescit sed pietate puer.
Quam docuit genitrix illum, genitorq; vicissim,
Insignes annis & probitate pares.
Nec mora, patricias vbi iam satis hauserat artes,
Inq; Scholis primum cæpit habere locum.
Solliciti multùm prolis de sorte Parentes,
Quid sit opus facto? dulcia vota ferunt.
Iagelloniacis placitum est mandare Camænis,
Inq; Academiæ deposuisse sinu.
Promptus at ille simul cognouit velle parentum,
Craciadum subitò docta Lycea petit.
Inscriptus numero studiosæ moxq; iuuentæ,
Pieridum sacris pectora docta vouet.
Profectu magno studiorum largiùs auctus,
Perceptis Sophiæ fructibus vberiùs.
Ad decus excelsum, titulosq; vocatur honorum,
Quos meruit vero ritè labore sibi.
Alma parens illum complexa Academia mater,
Donat honoratum principe laureolâ.
Annus tunc ibat post iam Natalia Christi,
Mille rotis centum sexq; nouemq; decem.

 Martius

Martius in cælo Martino porrò præibat,
Luce nouemdecima vectus: ad artis opus.
Arte tibi Martine meus, non Marte paranda est
Gloria: non Martis, Palladis arma cape.
Nominis ingentis, multum terræq; poloq;
Promeritus Mystes, magnus in Ecclesia.
Te Martine suo affini Fridrchouius optat,
Te præceptorem, te cupit esse ducem.
Commendata tua est pietas, virtusq; probatur,
Et labor, & studium, sedulitasq; placet.
Præsulis eximy facilem te nutibus offer,
Excole Nicolao pectora Rzessouio.
At minus est, minus est: prodesse laboribus vni,
Tu studio multis vtilis esse velis.
Ecce tibi prodit totâ cum plebe Senatus,
CurZelouiadum: sceptra vouetq; Schola.
Oraq; Lascensis, pariter Pilcensis id ipsum,
Exorat supplex: alma Lycea regas.
I pete digna tuis titulis subsellia Doctor,
Et doceas iuuenum dogmata mille choros.
Inprimisq; Dei rudibus præpone timorem,
Hic omnis fons est, hic: & origo boni.
Iactat perpetuò Te CurZelouia iactat,
Nec potis est laudes sat celebrare tuas.
Dogmate quòd dexter, perfeceris vsq; iuuentæ
Ad fructus patriæ pectora mille modis.
Inde notandarum Legum tibi facta potestas,
In populo: ex humeris Sedis Apostolicæ.
Inde tibi Ciues inter laus maxima creuit,
Hinc fauor in populis, ortus & omnis honos.
Inde tibi

Inde tibi data nupta Zophia Kowalska maritô est,
Pro Consorte viro, connubioq; venit.
Matre tibi pulchrâ natæ venêre gemellæ,
Bella Zophia Sopho venit & Elizabeth.
Et duo præstantes tibi prouenêre puelli,
Cum Stanislao, Paulus ab axe dati.
Fortunate parens veniat benedictio cælo,
Te super, ac pariter progeniemq; tuam.
Vt videas natos, & qui nascentur ab illis,
Crescere perpetuò semper honore pari.
Hæc tibi dum supplex donari cælitùs opto,
Ecce tibi sociam mors inopina rapit!
At tibi pro raptâ sponsabitur author Olympi,
Nunquam diuiduus, perpetuusq; comes.
Exue mortales, cælestes indue Curas,
Pastor abhinc Christi pastor ouilis eris.
Pro toto mundo placabis numina Mystes,
Votaq; persolues ter veneranda Deo.
Mater ades, pia mater ades: Tuus ecce Tonanti
Filius, æterno fert sua sacra Deo.
Prêndere quemq; nequit terrarum machina mundi,
Authorem cæli sustinet ille manu.
Tuq; bonus genitor, Nati spectator honorum,
Huc propera: precibus quos tulit ille tuis.
Ambo fatigâstis semper pia numina votis,
Sacra Deo faceret natus vt egregius.
Natus sacra facit, manibus tractatq; Tonantem,
Solamen vestrum cernite; tempus adest.
Inter & Ecclesiæ prælatos ritè creatur,
Canonicus Pilcæ cernite quantus hic est?
Nec satis

Nec satis est vestrum sic iam clarescere natum,
Pergit adhuc meritis altiùs ire suis.
Limina sacra suis reserata laboribus intrat,
Strzegouiæ: & Christi pastor ouile tenet.
Cûi Stanislaus Warszycki Maximus Heros,
Et verus Patriæ nomine, req; Pater.
Masouiæ Palatinus, Regniq; Senator,
Contulit eximium Canonicale iubar.
Ipsius insigni ingenio studioq; modesto,
Digna parat digno præmia, dignus Herus.
Quid referam? quantos sibi conciliauit amores,
Illius probitas, vitaq; labe carens.
Inter Sarmatiæ Dominas benè prima Ducissas,
Dux Wisniouiensis testis es ipsa mihi.
Diuini Mystæ quæ laudis summa dedisti,
Præmia virtuti; femina digna polo.
Mitto Martini præconia cætera laudum,
Quæ resident sacro pectore ZDZIEWOY.
Mansuetudo mihi non prætereunda Simonis,
Mitia, qui mitis rura paterna colit.
Hic nihil excelsum, nihil & complectitur altū,
Solâ sed Superis simplicitate placet.
Moribus antiquis, veroq; labore beatus,
Jn laribus paruis maxima regna tenet.
Hic natum nactus Stephanum, quē cura Parentis
Sollicitè studijs tradidit ingenuis.
Ad laudes minimi natu iam pergo Gregorij,
Auribus attentis Lector & ore faue.
A Christo nato: Solis millesimus Annus,
Bis ter centenus, nonus & ibat equis.

Porrò

Porrò dein decimâ Mars aurea cornua Lunæ,
Luce polo vexit, non remorante rotâ.
Paruulus æthereas mundi dum prodit in auras,
Et dias luces hic puer ingreditur.
Nil molle in puero, puerile nihilq; notatur,
De puero in cunis concipere alta licet.
Care parens, dulcis genitrix: persoluite grates.
Terrigenûm pariter cælicolûmq; patri.
Cumq; domo totâ testati gaudia plausu,
Implete optatâ pectora lætitiâ.
Hic puer ingenti famâ vos efferet olim,
Et magni vobis author honoris erit.
Pusio vix sese cunis exporrigit infans,
Et molli placidam vix pede pulsat humum.
Iam tibi cara parens tua per vestigia fertur,
Adq; sacras ædes fit Comes assiduus.
Iam tibi care parens, magnarum sedulus instat,
Virtutum expressor, paruulus ille licet.
Fert paria, & summo vobiscum vota Tonanti,
Quantumuis impar sit ratione puer.
Moribus integris inter dignissima matres,
Summum de nato nomen & omen habe.
Inculpate parens, Laus inter summa parentes.
Accipe de genito cælitùs augurium.
Qui modò molliculo se poplite sternit ad aras,
Supplex innocuas ferret ad astra manus.
Hic puer è summo deducet Numen Olympo,
Pro mundo, & vobis thura dabitq; Deo.
Iam pia mens impletur ei spiramine sacro,
Iam placitis cælo sensibus imbuitur.

B *Nil va-*

Nil vanum, nec inane suo iam pectore versat,
Cuncta sed ad nutus dirigit æthereos.
Tantùm recta valet sanctorum cura parentum,
In pueris tantùm sollicitudo potest.
Sic ad summa mouent natos exempla parentum,
Sic Pietas pennas addere sæpè solet.
Et dabitur tempus meritis cùm vectus in altum,
Inter honoratos nomina magna feret.
Vix cunis rudibus venit rationis ad vsum,
Mollis adhuc, nec dum robore sufficiens.
Sponte suâ puppus nullo cogente Magistro,
Sacra petit lætus limina Castalidum.
Ac primò Lasci pertractat prima Mineruæ,
Corporis in paruâ mole elementa sui.
Curzelouiades quem dein traxêre Camænæ,
Mox Sieradensis fauit Apollo sinu.
Nec mora Lublinum cùm iam vernantior annis,
Iret eò: Musas hunc docet Ausonias.
Post Cameneciades illum erudiêre Palæstræ,
Dum Scytici spectat littora Danubij.
Cûi simul vt Musæ vernanti flore iuuentæ,
Pectus & ingenium percoluêre satis.
Mens generosa subit: virtutis vt ardua quæq;
Perficiat: magnum quærat & inde decus.
Ergo posthabitis sudoribus atq; periclis,
Pro nihilo ducto quoq; labore graui.
Magnanimo puero peragratur in extera regna,
Et petitur regio quæq; remota sibi.
Visuntur Valachi, Moldaui, Sicula tellus,
Et Transyluani conspiciuntur ei.

Hunga-

Hungariæ partes cunctæ gressuq; teruntur,
Obuia solerti terraq; quæq; patet.
Deditus obsequijs Betlêm Gabrielis amico,
Transyluanorum Principis eximij.
Huic Stephano nomen, porrò cognomina Lazar,
Perpetuò placuit dexteritate suâ.
Aulam siue penes mansisset, siue ferentem,
Munera Legati, fortè secutus herum est.
Nec satis egregio iuueni consistere visum est,
Hic: & virtutem iam stabilisse suam.
Altiùs ire cupit: Macedonum visit & oras,
Et Samogitiadum regna cruenta videt.
Haûd ignote Croata illi notescis abundè,
In promptu mores cùm tenet ille tuos.
Non obscura lates illi Germania tellus,
Perlustrauit humum sedulus ille tuam.
Nota Silese tua est illi quæcunq; potestas,
Cognita sunt illi Moraue regna tua.
Post vbi lustrauit solers tot regna, tot vrbes,
Diuersis linguis edidicitq; loqui.
Rursus ad ingenuas pubens conuertitur artes,
Craciadum & gnarus docta Lycea petit.
Inscriptus libro Studiosæ iamq; iuuentæ,
Insudat Musis sedulus Aonijs.
Sedulus in studijs teneros & collocat annos,
Musarum doctis inuigilatq; choris.
Noctes atq; dies intentus sæpè labori,
Quicquid ad ingenium spectat, in arte colit.
Exercet Latias, pariter Græcasq; Camænas,
Discit: & Hebræis percolit ora modis.

Dogmata

Dogmata docta Sophûm penetrat, scrutatur & artes,
Insignes docili quaslibet ingenio.
Postq; Deum natum, cùm iam millesimus annus,
Bis tricenus: ter denus & vnus adest.
Artibus emeritus, studijs doctusq; Sophiæ,
Ornatur Phœbi principe laureolâ.
Inter & insignes iam Baccâ laureus effert.
Arte caput: titulis tangit & astra suis.
Florida plaude tuo Doctori plaude iuuentus,
Et Cathedram violis spargito; sparge rosis.
In cultis Academiæ legisse rosetis,
Contigit hunc quicquid proferet ille tibi.
Fructibus immensis doctrinæ teq; beabit,
Pectore dum promet dogmata docta Scholis.
Qualis mercator longis qui vexit ab oris,
Oceani gemmas exposuisse solet.
Aût fax igniuomis flammis accensa per orbem,
Cymmerias tenebras cùm procul irradiat.
Hâud secus hic multo doctrinæ munere lecto,
Quod pretio superat quodq; monile suo.
Expandet vobis nullis mercabile gemmis.
Ingenij pignus pondera cuncta ferens.
Et celsas mentes tenebroso corpore fixas,
Doctrinæ faciet corrutilare face.
Lumen inaccessum valeatis vt æthere nosse,
Et terris vitam viuere cælicolum.
At minus ille putat soli prodesse iuuentæ,
Vtilis esse magis percupit Ecclesiæ.
Hinc Academiæ coniungit honoribus altis,
Culmina regalis summa sacerdotij.

Et titulis vtrisq; potens, benè munus vtrumq;
Sustinet, inq; scholis, Ecclesiaq; Dei.
Agnoscit multos bona Curzelouia fructus,
Cùm docuit patrijs quos tulit ille scholis.
Ipsaq;, quæ post se gratus monumenta reliquit,
Pignus in æternum, ritè fatentur idem.
Agnoscit Pilcense solum, se præside tali,
Percepisse suis commoda mille scholis.
Quæ teneris annis, nimiùm molliq; iuuentâ,
Rectorem iuuenum vix habuêre parem.
Patria quid Lasko? tellus quid iactitat altrix,
Felix de tanto pignore terra suo.
Cuius honor, patriæ nutricia viscera tangit,
Et meritis clarum tollit ad astra caput.
Ambitiosa suo nato, cui præbuit altrix,
Vbera: honorato munera præstat humus.
Sceptra regenda scholæ, docilem traditq; iuuentam,
Et sacram Cathedram porrigit Ecclesiæ.
Annuit hic precibus patriæ, votisq; benignus,
Fert onus, & pariter munus vtrumq; subit.
Cælite præsidio suffultus, vtriq; palestræ,
Sufficit, & meritis pulchra trophæa refert.
Sacra salutiferis documentis templa beantur,
Diuinis populo dum tonat ille modis.
Docta Lycea vigent, augentur & agmine multo,
Moribus & studijs multiplicata bonis.
Incorrupta fides, leges & iura rigescunt.
Publica dum scribæ tractat is officia.
Sedis Apostolicæ sibi quæ suprema potestas.
Per Necium doctum Juris in arte, tulit.

Crescenti meritis, accrescit munus honorum,
Virtutemq; suam gratia persequitur.
Et veluti comes indiuisa est corporis vmbra,
Sic dignum semper concomitatur honos.
Multa videns, & multa putans dignissima laude,
Quæ commendabant re benè ZDZIEWOIVM.
Ioannes RONISZEWSKI vir nomine magnus,
Infula velauit cûi sacra ritè caput.
Præpositus Lascensis, & idem Maximus inter
Canonicos Craci, nomina summa tenens.
Canonicale decus præclarum contulit illi,
Canonicos inter constituisse volens.
Non satis hic titulus: maior, maiora merenti
Gratia defertur, gloria, maior honos.
Scilicet in Malin, delata Parhæcia curæ est
Illius: vt Christi pro grege ferret onus.
Munus at ille sibi oblatum deponit vtrumq;
Nec vult sublimes penè subire vices.
Forsitan immensos piget hunc sufferre labores?
Pro populo curas & tolerare graues?
Fortè recusat onus? discrimina multaq; rerum?
Quæ sibi pro Christo sunt subeunda fugit?
Quin potiùs, tantò meliùs pertractet vtrumq;
Munus vt, Ecclesiæ fiat & vtilior.
Posthabet ad tempus iustum, decus istud, & istud,
Ex Academiâ dum magè doctus eat.
Philosophia cui magnâ cum laude secundis,
Inclyta præcinxit tempora laureolis.
Nec multos posthac Jurisprudentia soles,
Jmponet capiti præmia digna suo.

Imponet

Jmponet fronti sacræ spes maxima cælo,
Propria cælicolis serta Theologia.
Quando quidem natura parens se fudit in illum,
Et celsum ad quiduis contulit ingenium.
Dotibus in tantis, sibi nilq; deesse videtur,
Præter quàm centrum, tenditur ad quod ei.
Jamq; Deus signauit iter, quo tendere debet,
Pro volucri pennâ fultus amore Dei.
Jpseq; per delubra locis constructa sacratis,
Sat sibi iam mollem strauit ad astra viam.
Et monstrauit iter multis ad sydera cæli,
Dum tonuit populo dogmata vera Dei.
Munere facundæ linguæ mysteria pandens,
Atq; rudes Christi iussa verenda docens.
Diuersis templis, quibus Vrbs Cracouia floret,
Diui JOANNIS maximè at Ecclesiâ.
Alma Dei Genitrix, sacris quæ sedibus istis,
Clares miraclis Virgo stupenda tuis.
Virgo faue: Mystæq; tuo Te sæpè Patronam,
Et veram Matrem fac pia præstiteris.
Sumite lætitiam de vestri munere nati,
Et de tot titulis crescat vtriq; decus.
Proh dolor? inuidit vobis bona tanta parentes,
Mors fera, dum vitæ stamina præsecuit.
Cernere non licet vobis in sanguine vestro,
Optâstis nato quod prece sæpè decus.
Non licet at quamuis mortali cernere visu,
At sentire licet scilicet auxilium.
Quod (si forsan adhuc lugetis) fertur ab illo
Pro vobis quoties supplicat ille Deo.

Felices

Felices animæ nimiùm gaudete Parentum,
Deq; pijs nati participate sacris.
Perg; preces geniti reserato limine cæli,
Eueniat vobis iam Deitate frui.
Detur & in cælis cunctis requiescere seclis,
Tàm Iacobe tibi, quàm Catharina tibi.
Plurima virtutum ZDZIEWOYSKI *gloria restat,*
Laudibus illius sed mea Musa minor.
Cui doctrina, cui pietas dux summa parârunt.
Inter Magnates nomina Terrigenas.
Felix o nimiùm Lasko, ter patria felix,
Plus vltra felix, dicere quàm satis est.
Belligeris animosa viris, & milite quondam
Clara sub arctois & benè nota polis.
Nunc verò natis sapientibus aucta refulges,
Inter & vt stellas Cynthia plena nites.
Lucent Ecclesiæ vigili Pastore per Vrbes,
Claustra referta vigent relligiosa pijs.
Alma parens doctis Academia claret alumnis,
Quos produxisti tu bona Terra tibi.
Sed reliquos inter quêis altè patria crescis,
Præcipuè crescis Patria ZDZIEWOIIS.
Sed iam tempus adest, positis in fronte coronis,
ZDZIEWOIUM, *Phœbo composuisse chelym.*
LASCIA *stirps, quæcunq; viges, quæcunq; vigebis,*
Eiâ ZDZIWOIOS *facce sequare tuos.*
Quòq; Duces tanti venêre laboribus aspris,
Fac sudore tuo, tu quoq; peruenias.
Ardua res virtus, sed non operosa volenti,
Inuia Sudori peruia quæq; via est.

FINIS,

SERIES VITÆ ET ANNORVM,

R. D. GREGORII IOAN: ZDZIEWOYSKI à LASKO Art. Philosoph. Doct.

ANNO à partu Virgineo 1609. *Lasci primam lucem aspexit. Die decima Martij, Feria tertia in aurorâ. Eodemq; die è sacro fonte leuatus.*

Prima elementa literarum, Lasci 1615. inchoauit.

Curzelouiæ 1619 Circa literas desudauit.

Deinde 1621. Causâ studiorum Siradiam missus.

Humanioribus studijs, 1623. Lublini operam nauauit.

Post Cameneci in Russia, 1625 tempore pestilentiæ grassantis in Polonia, literas tractauit.

Tandem 1626. pulueris scholastici molestiâ pertæsus, leuandi animi gratiâ; Regnorum externorum amplissimas prouincias cum Legato Gabrielis Bethleemi principis Transyluanorum peragrauit.

Rursum Anno 1628. Musas Crac. salutauit.

Artium & Philosophiæ Baccalaureus in Almâ Acad. Crac. Die 6. Aprilis 1631, pronunciatus.

Gymnasiarcha & Notarius Curzelouiensis 1632. extitit.

Pilcensis Scholæ regimen 1633. accepit.

Deinde eodem anno die 19. Februarij Gradum Minorum Ordinum Cracouiæ obtinuit. Die vero 12. Martij, 1633. Sacris Ordinibus Subdiaconatus Ornatus est.

Prima die Aprilis, 1634. Diaconus Creatus.

Demum 1635. Die tertia Martij, tempore Comitiorum

Gene-

Generalium, Varsauiæ in Ecclesia S. Ioannis in Presbyterum Consecratur,

Eodem Anno Mai 27. ipso Die Pentecostes, Tremendum Sacrificium Missæ, in Ecclesia Cathedrali Cracouiæ, ad Mausoleum D. Stanislai Deo obtulit.

Eodem anno Officium Sacri Oratoris Lasci suscepit.

Notarius publicus 17. die Octobr. 1636. instituitur.

Allectus desiderio literarum, Cracouiam se Contulit 1637. ibidemq; in Ecclesia S. Ioannis munus Concionatoris sustinuit.

Artium Magister, & Philosophiæ Doctor, in Almâ Academiâ Crac. Die 16. Aprilis 1638. salutatur.

Post Academicos verò labores, Verbum Dei feliciter prædicare Oswiecimi, in Ecclesia B. V. M. aggressus est.

EPIPHONIMA.

Splendor ZDZIEWOIÆ Domus GREGORI,
Musas qui Colis; & faues Camænis:
Quos Consecro tuo libens amori,
Versus accipe fac meos benignè.

Deinde plebanus Witamoviensis institutus 1640 August. 27.

M. Stanislaus Osędowski Collega Minor & Profess. in Alma Acad. Crac. P. P.

CRACOVIÆ,
In Officina STANISLAI BERTVTOWIC,
Anno Domini, 1639.

